

Quibus responsum est sic diffinitive: „Complacendi presentia voluntate, amici carissimi! Scripsistis nobis, qualiter duobus vicinis vestris altum extruentibus puteum etc. Super ^{rr} quo honestati vestre respondemus pro iure edicentes: Ex quo prefatus vir concivis beneficia renuit compensare beneficiis, velut filius ingratitudinis, quod se omnino ingerat in eundem locum putei, in quo per suum cooperarium fuerat arreptus, quovis aminiculo procul moto; et si salvus corpore evaserit nullius auxilio mediante, antefatus erutor sibi satisfacere tenebitur pro organo memorato. Sin autem se ibidem recusaverit ingerere, quod erutor ab ipsius impetitione sit penitus absolutus.“

25.¹⁾ De offensione alape maxillaris. „Plenitudine famulaminum predirecta, domini, iurisdictionem debite dispensantes, quid sit iuris subscripta altercatione. .^{ss} petimus informari: Quidam enim concivis noster alium continue nostrum violenter offendit alape maxillari. Idipsum consilio lesus nostro deposuit conquestive. Reus vero vocatus in consilium, per nos interrogatus, utrum actorem manu leserit. Hac rogatione facta in consilio, lesus a nobis postulavit informationem, quomodo^{tt} sibi offensor satisfacere astringatur. Nos vero in edicendo sententiam nostro in consilio discrepamus. Quidam enim dicunt, quod offensor leso bis tantum, quantum pro aperto vulnere [satis]facere^{uu} teneatur. Alii dicunt, quod offensori manus, que peccavit, debeat amputari, nisi eam per decem [marcas]^{vv} valeat redimere sexagenas grossorum. Quid horum iuris sit et que emenda ex hoc concernens iudicem, nos benivole informate.“

26.²⁾ De amputatione.^{ww}

27.³⁾ De amputatione digitorum in manu et aliorum mutilatione. Servitiorum presentia voluntate prudentes vicini et amici carissimi! Accidit nuper in civitate nostra, quod quidam noster coincola alium nostrum coincolam manu invadens armata sibi amputavit duos digitos et alios in eadem manu digitos mutilavit et quam plura etiam sibi infixit in corpore vulnera. Tandem nostro peracto iudicio idem, videlicet lesus ex una, et lesox parte ex altera sibi eligunt utriusque arbitros et in eos potenter ac benivole in causa inter ipsos vertente [con]veniunt^{xx} et condescendunt. Qui quidem arbitri huiusmodi onere assumpto consilio et scrutinio inter se prehabitis pronunciaverunt sub

^{rr}) Kürzung hat Sr mit Schlußßchwanz, der ganz wie r aussieht, aber super richtige Lösung.

^{ss}) Das folgende Wort nicht deutlich, 5 oder 6 Buchstaben, kaum zu lesen, Minustelfanfang vielleicht sr oder sw, dann a, ff. vielleicht Kürzung rz, lesbar enie am Schluß, also Genitiv, vielleicht Ortsname, da unterstrichen.

^{tt}) Kürzung quō. ^{uu}) Hs. fehlt satis- zu facere. ^{vv}) marcas fehlt.

^{ww}) Ohne weiteren Text, mäßig freier Platz zum Eintragen des Falles.

^{xx}) Hs. con- zu veniunt fehlt.

¹⁾ S. o. S. 470.

²⁾ S. o. S. 461.

³⁾ S. o. S. 461.